



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri
Viginti**

Della Porta, Giambattista

Frankfurt, 1607

Quomodo extrahatur oleum per descensum. Cap. XII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

poausto per dici medietatē immoretur, & in summo aquæ oleum clarum, & limpidum superfluitabit; sensim inelinato vase transfundas, & repurgabis per retortam, & pulcherrimum oleum habebis, tenuissimum, & odoratissimum. Varia quoq; sedulitate paratur

Oleum ex papyro, & linteis,

Et satis ingeniosè. Reuoluatur papyrus in modum pyramidis, pharmacopœorum more, quum aliqua aut reponi, aut longius ferri fuerit opus, & quentur forficibus summa ora, ac tenacibus verticem apprehendēdo candelæ accendantur extrema, accensam inuertendo supra patinam planam per semidigitum à fundo distantem teneas, ut vix fumus perspiret, infra manum deprimendo, ut ignis papyrus consumat, ut semper eadem mensura à fundo distet. Vbi absumpta fuerit mera supra fundum patinæ oleum fluabit croceum, & cōbustionem renidens: collige: valet ad detergendas, & profligandas à mulierum faciebus lentigines illitu. Simili fere modo truditur

Oleum è frumento.

Supra inuersum marmoreæ pile fundum complanatur frumentum, supra feruentem & fere ignitam laminam appone, & cōprime; nam ex lateribus orarum croceum, & combustionis vitio maleolens oleum excipies, ad eosdem vsus: ad spiritus refocillandos labantes alio paratur modo.

Quomodo extrahatur oleum per descensum.

C A P. XII.

MODVS est communis, & apud omnes vulgaris, nam ex rerum vstulatione extruditur, sed odoris infestissimi, nec eo nisi in medicamentis vti possumus, extrinsecus adhibendo: nam intra corpus absumi nequeunt. Modus eiusmodi erit. Ex tenaci creta, & igni cōtumaci paretur olla, intus vitrata, ut liquores ei commissos cōtinere possit, absq; transmissionis suspitione, cuius fundum foraminibus interceptum. Ollæ aliud fiet: le subditur, quod orificij amplitudine supra dictæ fundum intro recipere possit, & commissuræ circumlu-

tentur: olla ex lignorum taleolis repletur, & cooperculum inditur, & superlutatur. Mox scrobem defodit, & olla cum fictili sub terra reconditur, & terræ quicquid effossum est, in circumuacuum spatium reingeritur, ac pedibus concalcatur, & arena superinspargitur altitudine sextantis: supra igitur ollam pauca carbonū strues accenditur, gradatim postea augetur, donec dies spatio olla ferueat: post hæc igne amoto, & feruore dimisso, olla effoditur, & in subiecto ollæ vase oleum excolatum reperitur; quod ut à sordibus depurgetur, per retortam iterum distillabis. Nos, ut aliquid noui vetustis rebus addamus, ita faciemus. Fabricetur ligneus tripes, cuius pedes duorum pedum longitudinis. In summa tabula, medium perforetur, ad excipiendum collum distillationum vasis, supra lignum ærea concha concinnetur, ut lignū vratur, atq; ferreis filis firmetur. In medio pedum longitudinis, adaptetur tabella, supra quam receptaculum collocetur, quod apte inuersi vasis collum intrare recipere possit: repleto vase distillandorum, circum accenditur ignis. Si quis igitur extrahere quaesierit

Oleum ex guaiaco.

Replent vas vitreum ligni guaiaci scobe, ac aliud superlutatur luto paleato, ac duplici, triplicive crusta munitur: ubi Sole resiccata fuerit, intra collum fides orichalceæ indantur, inuertatur vas, & per foramen traiecto collo accommodetur receptarium, & linantur spiramenta. Supra concham, circa vitrum accedatur ignis, primo largiusculè, mox viciniori contactu vehementius incalcescat, sed nō candeat, donec omnia combusta putabis: post amoto igne, requiescere sinito, donec frigescat, & reperies in inferiori paropside oleū nigrum, cōbustum, inolidum. Hoc modo ex iunipero, cupresso, & aloe oleū extrahitur, sed in aloe maiori solertia & diligētia vrendum est, ac leui vi ignis, quum vnguenta subintret.

De quinta essentia extractione. CAP. XIII.

VARIAS oleorum extractiones tradidimus, nunc ad quintam essentiam deuentum est, quam declaremus oportet, ac quomodo extrahatur. Quintam essentiam